

DEO OPTIMO MAX.

UNI ET TRINO,

VIRGINI DEIPARÆ, ET S. LUCÆ

Orthodoxorum Medicorum Patrono.

QUÆSTIO MEDICO-CHIRURGICA,

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS, *manè discutienda*, *in Scholis Medicorum*, *die Mercurii*, *decimo mensis Junii*, *anno Domini* M. DCC. XLIV.

M. HYACINTO-THEODORO BARON,
Antiquo Facultatis Decano, Doctore Medico, Præside.

An omnes antè maturitatem Parotides Aperiendæ?

I.

PAROTIS glandularum tumor inflammatorius in viciniis aurium exurgens, à sede nomen habet. Origine varius, sed in eâdem invadendâ parte constans, situ insignis, aliena nunquam mentiens symptomata, vero semper vultu se prodens, non difficilem præbet sui cognitionem. Ut ortus inflammationum, sic etiam progressus imitatur, & exitus. Cum iis rubore loci, pulsantique dolore consentit. Quin & æmulam quandòque gestat indolem. Dirus sæpè nascenti malo socius occurens, graviores incutit metus. Sæpè desinenti subnascens, metuenda fugat, lætiora prædicans, solviturque morbus. Interdùm repentinus adest, pari velocitate depressus, nec ullis antè signatus indiciis. Nescis tùm quas occultè struat insidias liquor evanescens. Insidam hujus & quasi *periodicam* timeas fugam. Citò enìm emergens amne largiori auctior, sæviora palàm evolvet. Fortè etiàm iterato lusu reconditus, si non exteriorem sibi fecerit exitum, fœcundos in multiplici corporis parte suscitabit abcessus. Cum *Galeno* multi, tres statuunt (*a*) parotidum differentias. Eas ex *Sennerto* distinguit *materia*, *generationisque modus*. (*b*) At iste, vir tamen in Medicis concoctissimus, *bilioso*, *pituitoso*, *melancolicoquè* prolutus humorum flumine, quot varias ex hinc abire putat horumce tumorum divisiones! Eas dum sedulus recenset, nùm licebit breviter intercipere? *Sympaticæ* cum pluribus dicuntur aut *criticæ*. Novum rursus, communemque titulum induentes, *be-*

(*a*) Zacut. Lusit. de Med. princ. hist. Paraphr. sup. Hist LXII. Galen. de Parot. tom. prim. pag. 104.

(*b*) Daniel Sennert. tom. 2. Pract. lib. V. Part. prim. cap. 6. pag. 810.

nignæ ſunt vel *malignæ*. Quam certè mutuantur appellationem, primò, ab aſperiori vel mitiori naturâ liquoris, cui ſuos ipſæmet & ortus debent. 2°. Ab indole diversâ morbi cui ſuccreſcunt.

I I.

SUA ſunt unicuique rei principia. Vel opaco latitant obvoluta velo, acutiſſimæque ſagacitati penitùs inacceſſa; vel ſpontè ſe offerunt nullis expugnanda laboribus. At ea, quovis in caſu, ſubeſſe, non timida ſuſpicio, ſed inconcuſſa veritas habetur. Hìc de proximis tantùm ſolliciti, remotiores ablegamus cauſas. Lux enìm nùm ſatis ſplendidè longinqua micat? illas in omnibus indiſcriminatìm affectibus ſcrutari liceat. In ſingulorum inveſtigatione, quàm levi jure commendantur! Sit ergò vicinior ſinceraque Parotidum originis cauſa, liquoris cujuſlibet inſpiſſati, glandulæque ſinum adimplentis captiva moles. Ille, vel è cerebro ſævi laticis fonte depluit, (nec quidquàm reluctante Clar. *Whartono*, qui nullos in Parotides è cerebro *derivari* rores aſſeverat) (*c*) vel è partibus cæteris advehitur. Nunc fauſtum naturæ brevi ſublevandæ conamen; nunc vanus oppreſſæ, ruentiſque labor. Ex febre tumor iſte multoties genitus, cum eâ gignitur interdùm & creſcit, quin eâdem abſente, ſanitate vegetâ florentes invadit. Benigniora ſperes, ſi jam ceſſante malo ſurrexerit. Si tempore pares ipſi contigerint ortus, nec indè ſymptomata ſiluerint, parari pejora credas. Si nullo denique morbo ſtipatus eruperit, nec etiam acceſſerit febris, tùm ſanè confidas. Doloſus tamèn cave repetat interiora liquor. Tametſi lubens ſolitâ deindè, ſed parciori ſuppuratione evaſerit, narratus ab *Hildano Fabricio* (*d*) caſus ne renovetur attendas. Cæteris inflammationibus conſentaneas diximus Parotides. At ipſis undè naſcantur & intumeſcant ſanguinem ſolum largiri ſi cogites, erras. In iis ſtillantes è cerebro ſeroſitates ſocio lapſu colliguntur. Poteſt elaboratus ipſemet ſervatuſque liquor in glandulis, flagitii partem ſuſcipere. Imò difficilè ſubodorari liceret quo pacto res aliter abſolverentur. Horumcè Tumorum duplici vulgò ratione natura molitur exitus. Quas quidem imitatur & adhibet Medicina feliciter audax, ubi prior viribus orbata jacet. Iſtud vel reſolutionis, vel eſt ſuppurationis opus. Nulla præter has tentanda methodus. Quæ repercuterent, penitùs exulare decet. Ab horum uſu, prudentiſſimâ lege deterrent vicinioris brevi afficienda cerebri penetralia; præſertim ſi maligna mali noſceretur indoles. Nec ipſammet fidam quandòque reſolutionem ego crediderim. Longiori temporis intervallo, lentoque nimis molimine conciliatur. Tùm ſæpè, dùm quid humoris elicit exteriùs tranſpiratio, copia major ad intimiora vergens, & propinquis, & remotioribus etiàm ſeſe partibus ingerit, inſuper eductis ſubtilioribus laticis incluſi particulis, dentior non rarò maſſa ſupereſt, ægrè disjungenda, ſchirroſamque paulatìm æmulatura duritiem. Urget anceps utrinquè periculum. Ex ſuppuratione, ſi maturè promoveatur, ſi debitâ quantitate fiat, an iſta vereri fas eſt? Hanc igitur conſentiente naturâ, partiumque diſpoſitione amplectamur. Utrùm ſit, in caſu quolibet, obtinenda puris exquiſita confectio, priuſquam ipſi concedatur effugium; an ante maturitatem ſemper aperiri tumor oporteat? Quæ ſequuntur edocebunt.

(*c*) Thomas Wharton. M. D. Coll. Lond. Adenograph. ſive gland. tot. corp. hum. deſcrip. p. 116. Tit. *de Parot.*

(*d*) Guill. Fabric. Hildan. Centur. Obſerv. & curat. Chirur. Obſerv. XXXIX. pag. 118.

I I I.

PAROTIDES cùm iiſdem non exoriantur auſpiciis, non omnes celeritate pari ſibi petunt exitum. Is etiàm ipſis non ſimili conſtanter modo paratur. Ad hunc cur tempore properent inæquali, multa coeunt. Principiorum ex quibus origo pendet, malorum quæ ſocio tangunt ortu, quibuſvè occurrunt, aſſidentium iis deniquè omnium natura, ferocitas, partis ipſiuſmet diſpoſitio, conficiendum pus, lentiori, vel promptâ magis arte cient. *Criſes* non quæ maturent, ſed quæ maturum citò liberent, efflagitant. Si malignæ febris ſoboles ex aggeſto liquore tumor emineat, plena periculi ceſſatio, dabit perniciem quies. Ipſa etiam ſæpè tarda fuit in hoc caſu celeritas. Digerentia digerentibus addita, ſuâ quodque vice, ſcrupuloſiùs apponi nè juſſeris. Humoris parandi, jam natura munus occupavit; nec multus te manet labor. Tum enìm febris topicorum æmula concoquit; imò quæ glandulæ inferuntur, pœnè coctæ dixeris. At ſæpè nil micat exteriùs; ſilent laudandi puris indicia, non conſpiciuntur quæ regant incertum. Quid iis opus eſt? Regit ſanctiſſima practicis

lex, & legi non inferior metus, nè vicinia, si delitescat liquor, maligno rore perfundantur. Nil igitùr externè maturare tentes, præter citam interiùs maturi eductionem. Vix incisi dehiscet tumoris sinus, benè suspicatum te fuisse, brevì noveris. Indè cùm impuro latice exiliet sapientis methodi laudatio. Non unâ ratione viam exeundo puri præberi diximus. Caustica ferri sæpè vices adimplere coguntur. Hoc & priora sine discrimine usurpari vetitum est. Licet enim pari consilio moveantur, & quædam sint ambobus communia, in nonnullis tamèn proprio jure præpollere gaudent. Sic utraque terebrandis potentia tumoribus, divisas sæpe tenent sortes. In iis etenim quos ad plenam ire suppurationem palàm est, ferro plerumquè, rariùs causticis agitur: in induratis autèm & schirrosæ soliditati vicinioribus, urere frequentius, quàm secare. Horum usus in gravidis densiori latice Parotidibus, simili distinguitur prudentiâ. Has enim cæteris corporibus glandulosis affines, ad indurationem quandòque pronas esse, minimè portentum videri debet. Familiare omnium ferè glandularum peccatum est. Quo tamen non ita sunt insimulandæ, quæ subnascuntur malignæ febri Parotides. Has igitur citiùs aperiri non posse liquet. Veniet ex solâ celeritate salus. Multiplices etiam vultu mitiori prodeunt hujusce modi tumores, quos nec febris, aut saltèm parùm aspera, nec depressa valetudo comitetur. Eas sæviori ferro protinùs debellare non aggrediaris; nec placidiori benignitate excipias. Si pax ipsis longior faveat, brevì dira minari, dira etiam accersere queunt. Prudentem igitur & cautum te geras, cùm te sinat utrumque gerere, malignorum absentia symptomatum, & metuenda nihilominus liquoris indoles.

I V.

RES *interdùm Naturæ soli committendas*, prædicant ferè omnes Medicinæ codices. Venerandum quidem axioma! Verùm adhibenda, si fuerit opus, auxilia vetari nè finxeris. Hæc foret periculosa veneratio. Nec benè laboranti consuleret, qui malè otiosus, benigniorum etiam Parotidum spontaneam permitteret ruptionem. Has igitur sequaci curâ premas. Nota sunt proximæ suppurationis signa. Laudandas perfecti puris dotes indicant, hebetior jam doloris aculeus, febrilis paulò quiescens ardor, mitescentia symptomata, hujus pallescere rubor incipiens, mucroque saliens in medio subalbidus. Inter hæc non recenseri, deprehendendam indice tactu, fluctuationem nè mireris. Quot enim ancipiti delusit errore, quos ad irritam sterilis abscessûs aperturam impulit? At priora mendaci fefellisse fuco non audivimus. Tùm ubi patent, mollissima demùm agendi tempora, nè sinas effugere. Hæc verè sunt liberando puri dicata. Celerem pariter & timidam nimis arcemus manum. Peccat utraque. Majora quænam ex ambobus trahat incommoda, dubium fortè moveri posset. Ferro præcipiti qui multa præcavere confidit, quot nova dirus artifex operatur mala! Is certè *Malum potiùs adaugebit.* (*a*) 1°. Enim naturæ consilia turbat, ejusque labores immaturè strenuus antevertit. Prioris quidem est facienda auspicari, torpens in glandulâ fluidum ad coctionem parare. Prima etiam hujus *alteratio*, solius ejusdem officium. Ipsa denique monet quid tentari velit. Si tardiori videatur incessu progredi, malignique forsan laticis offendat mora diuturnior, sunt quibus maturare leniter negotia possis, nedùm ad sæviora ruas. 2°. *Nihil indè puris educet.* (*b*) Nec istud ægrè concipitur, cùm ad illius perfectionem, concedenda temporis spatia negaverit. Vix enim glandula intumuit, in sinceram continuò nequit abire materiam. Pus pure allicitur, at hujus non evolvitur ad nutum rapida generatio. 3°. Citiùs aperto Parotidis fomite, dissipatur internus calor. Fugit mox abscessuræ partis dispositio. Quocunquè enim humor aliquis appellatur, si crassiorem eum vasa nequeant exsugere, ibi aggeritur certo debitus otio. Nec longa quies; calore loci refocillatus brevì reviviscit. Hærentes sese expediunt particulæ: de somno excitantur quasi desertos repetituræ canales. Sed nullus patet aditus. Tùm quodam, veluti desperationis motu agitatæ sibimet occurrunt. Exoritur intestina fermentatio, digestioni similis, inclusa coconquens. Nulla enim sine quodam æstu concoctio. Et cur apposita quædam *emplastica*, promovendæ puris elaborationi favere dicuntur? Nonne forsan quòd poros occludant, internumque, aeri impervia, foveant ardorem? Hinc conjicias, an inciso citiùs tumore, vel exurgere, vel servari diu calor ille debeat? An non omnis proindè pereat suppurationis expe-

(*a*) Sennert. tom. 2. Part. prim. lib. V. cap. V. pag. 805.

(*b*) Idem. Ibid.

ctatio ? 4°. Adest insuper metus haud infrequens; ne divertatur aliàs Parotidem liquor exsuscitans. Namque ex immaturè apertâ nullus, aut parcior saltem effluit. Crudus qui superest, ad exquisitum perfectæ digestionis finem, non jam facilè deducatur. Utrumque minimè spernenda firmant ratiocinia. Hinc nonne quædam enasci videtur, ad alia clam serpendi necessitas ? Quot jam timendæ *metastases* ! Quot cœca suberrare pericula, quàm multis denique in locis dispergi possunt abscessus ! Et ista ne credideris ad incutiendum efficta terrorem. Iis non inferiora sæpè temera peperisse legitur celeritas.

V.

NUNC igitur prudentiæ Partes amplecti moraris ? Hæres incertus quò te abripi cupias? At narrata certè mala sufflat celebrata maturo tempore Parotidum incisio. Hæc saltem mitior dicenda methodus. Quin, audeam asserere, sola naturæ legibus consentiens, agenti modò famulatur, modò deciduis supplet conatibus ; ipsi sæpè obsequiosa, sæpè etiam imperans, innixa semper, nunquam invisa. Desideratam puris non intercipit confectionem. Non steriles imperfecto largitur exitus, undè nihil aut pauca tantùm quantitas exstillet. Nocivos demùm, & ab impeditâ suppuratione pendentes non patitur effectus. Parùm ista te movent, urges. Lentior tibi videtur exquisitæ concoctionis progressus. Optata priùsquam contingant aperiendi tempora jam puris copia quædam, internam glandulæ substantiam corrodens, etiamsi maligna non fuerit indoles, in viciniis excavare sibi poterit receptaculum. Audebit forsan intimiores cerebri recessus violare. Hoc primum objicis ? Respondeo. Res quidèm ità se haberent, si naturæ soli linqueretur eliciendæ suppurationis opus. In alieno casu sapiens diceretur cuncta ponderantis prudentia ; damnandus in præsenti Torpor, exprobranda cunctatio. Infestam nè diutiùs involvi materiam sinas. Pro naturâ, vel antiquiori tumoris origine, maturantia accommodes. Nihil est majori sedulitate observandum. Ingeminas. Si quid elaborati puris interiùs, nondum patentibus externè confecti signis, evaserit, nùm inde quæ timenda sunt, sequens avertere poterit eductio ? Respondeo primò. Saltem impediet ne fugitivo jungatur extractus liquor, & crescat formidandorum manus. Respondeo secundò, non satis largam merè purulenti laticis è Parotide *non malignâ* quantitatem interiùs effundi posse, externis nondum micantibus indiciis, ut ideò tristia liceat eventura suspicari.

Notandum autem istud imprimis est. Expectandam quidem esse Maturitatem contendimus, priùs quàm instituatur apertura tumoris. At delineatum à nobis statum hunc nè putaveris, quo versus in materiam totus ferè tumor, quasi flaccescens pendet. In medio tantùm eminens albescat acumen satis est. Sic evolutâ mente concludimus :

Ergò non omnes ante Maturitatem Parotides aperiendæ.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus-Ludovicus Liger.	*M. Petrus Roussin de Montabourg, Consiliarius Medicus Regis ordinarius, nec-non Urbis Regiæ Regiique Nosocomii San-Germani in Layâ.*	*M. Michaël Peaget, Pharmaciæ Professor designatus.*
M. Joannes-Stephanus Guettard, è Regiâ Scientiarum Academiâ.	*M. Achilles-Franciscus Fontaine.*	*M. Claudius-Antonius Renard.*
M. Natalis-Maria de Gevigland.	*M. Joannes-Baptista-Ludovicus Chomel, Medicus Regis ordinarius.*	*M. Petrus-Antonius Lepy.*

Proponebat Parisiis, JOANNES LE THIEULLIER, Parisiensis; Saluberrimæ Facultatis in Universitate Parisiensi Baccalaureus, A. R. S. H. 1744. à sextâ ad meridiem.

Typis QUILLAU, Universitatis & Facultatis Medicinæ Typographi, 1744.